

(X1883896)

II m
1446

Q. D. B. V.
DE

ITALO
CHERUSCORUM REGE,

Ex Tacit. Ann. l. XI. c. 16. 17.

in almâ hâc Philuræa,

Moderatore

DN. L. ADAMO Rechenberg/P.P.

XIV. JUN. A. Æ. C. cIo Ioc LXXIX.

H. L. Q. C.

differet

BALTHAS. RUDOLPH. à Lichtenhain/
Eq. Misn.

LIPSIÆ, Typis Viduæ JOH. WITTIGAU.



*Clavis
Da. the. lin
Anno 17
Faint handwritten notes*



LIBRARY

CHESSBOROUGH REGIS

in the County of Flintshire

Moderator

W. ADAMS Esq.

of the County of Flintshire

Esq.

WILLIAM ADAMS Esq.

Esq.

Printed by J. W. Widdowson



Faint handwritten notes in the left margin.



REVERENDISSIMO ET SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DN. MAURITIO,
DUCI SAXONIÆ, JULIA-
CI, CLIVIÆ AC MONTIUM, PO-
STULATO ADMINISTRATORI EPISCO-
PATUS NUMBURGENSIS, LANDGRA-
VIO THURINGIÆ, MARCHIONI MI-
SNIÆ NEC NON UTRIUSQUE LUSA-
TIÆ, PRINCIPALI DIGNITATE COMI-
TI DE HENNEBERG, COMITI IN MAR-
CA ET RAVENSBERG, DYNASTÆ IN
RAVENSTEIN, ET PRÆFECTO
BALIVIÆ THURINGIACÆ,
&c. &c.

DOMINO MEO CLEMEN-
TISSIMO

FELICITATEM!

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME,

DN. MARTINO
DUCI SAXONIAE, LITVAE,
CI, CLIVIAE AC MONTANI
STULATO ADMINISTRATORI
PATRIS NUBERGENSIS, LANZGRA-
VIO THURINGIAE, MARCHIONI MI-
SIAE NEC NON TURISQVE LISA-
TIAE, PRINCIPALI DIGNITATE COMI-
TI DE HENNEBERG, COMITI IN MAR-
CA ET RAVENBERG, DYNASTAE IN
RAVENSTEIN, ET PRAEFECTO
BALIVIAE THURINGIAE
ccc. lxx.

Tuæ potissimum Indulgen-
tiæ acceptum fero, quod
in hac Academia tempus
animi culturæ feliciter po-
tuerim impendere. Ea
enim

enim mihi prospectum fuit, subfidiō
studiorum clementissime concessio, ne
aliquando necesse haberem, *Serenissi-
mæ Celsitudini Tuæ* Patriæque degene-
rem me aut inutilem sistere. Quod
beneficii genus, si non agnoscerem
subjectissimæ mentis veneratione, non
possem non ingratisimi civis crimen
subire. Quoniam verò in præsentia ali-
ud debitæ submissionis pignus depo-
nere nequeo, hunc ingenui foetum *Cel-
sissimo Tuo Nomini* consecrare susti-
nui. Erigor autem in spem bonam
fore, ut hoc levidense juvenilium stu-
diorum specimen, humillimo animo
oblatum, Serenissima fronte profecu-
turus sis: in primis cum ea, quæ in Italo
Principe Germano laudantur, jucun-
dissimâ recordatione etiam in *Te*, DO-
MINE, venerari cum aliis bonis civibus
hoc

hoc modo instituerim. Si DEUS mihi
ætatem firmaverit, enitar, quò splendi-
diori olim cultu genere *Serenitatis Tuæ*
Clementiâ me non reddam indignum.
Interea votum meum cum Patria con-
jungo, ut immortalis DEUS TE, *Pa-
triæ Patrem*, cum *Celsissima Domo* quàm
diutissime vigentem florentemq; con-
servet.

SERENISSIMÆ TUÆ
CELSITUDINIS

Lipsiæ 13. Jun. 1679.

devotissimus & subjectissimus

Balthasar Rudolph à Lichtenhann.



DEO DUCE ET AUSPICE CHRISTO.

Prooemium.



Antea fuit barbaries, in quam majores nostri inciderant, ut *literarum secreta viri pariter ac foeminae ignorarent*. a) Quis igitur miraretur, nihil ab eis memoriae proditum exstare, unde cognitionem rerum ab ipsis gestarum hauriret posteritas? Multum tamen eos excelluisse fide genuinâ atque animi magnitudine, infensissimi ipsorum hostes in suis monumentis tradunt. Neque Romani vitio vertērunt Frisiorum principibus, cum illi in theatro Pompeji exclamarent: *nullos mortalium fide ac armis ante Germanos esse*, quod Tacitus scriptor gravissimus annotavit. b) Tanti aestimavit eorum virtutes primus Romanorum monarcha Augustus, ut eos *inter armigeros circa se haberet*. c) Nec Caligula, Galba, Maximus, Balbinus, fide illorum multis experimentis perspectâ, satellites ad corporis custodiam deligere Germanos dubitarunt. Insigne est gentis Germanicæ encomium, quod sincerae ejus fides vel apud externos promeruit: *Si fides expelleretur toto reliquo orbe, in unâ Germaniâ inventuram esse asylum*. Eamque virtutem nec hodie in minori pretio ab illis haberi, sæpius apud exterarum gentes, non modò imperitum vulgus, sed viros rerum peritissimos, se audivisse commemorat Cluverius. d) Nulla quidem illâ rudi ætate, majoribus nostris prudentia militaris exacta, nulla disciplina fuit; e) Ingenti tamen ipsos fortitudinis bellicæ cupiditate flagrâsse, Seneca f) dixit more suo gravissimè: *Germanis quid animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius, quibus inna-*

A 2

scuntur

a) Tacit. German. c. XIX. b) lib. XIII. Annal. c. LIV. c) Sveton. Aug. c. XLIX. d) lib. I. c. XIX. Germ. Antiq. e) Cluver. lib. I. c. XLIII. f) lib. I. de ira c. XI.

sciuntur innutrienturq; quorum unica illis cura est, in alia negligentibus.
 Imò publicè maximam esse laudem ipsi putaverunt, si quàm latissimè à
 suis finibus vacarent agri: hâc re significari magnum numerum civitatum
 suam vim sustinere non potuisse g). Pro salute, non pro gloriâ, cum eis
 certabant Romani, quorum virtuti omnia alia fuerunt prona h). Bellum
 quoque cum his gessisse, illis parum profuit, cum multa invicem da-
 mna illata memoret Tacitus i). Alia elogia, quæ natio nostra ab
 exteris ornatur, hîc cumulare supervacaneum videtur, cum omnibus
 constet, Germaniam olim neque à Trajano, neque ab Hadriano pla-
 nè sub jugum missam fuisse. Porro etiam ævo Caroli M. (ut Homeri
 verbo utar,) *ἡμιολέοντες* esse perseverarunt. Causa virtutis, ob quam
 Germani victi magis, quàm domiti audiunt apud Florum, k) attri-
 buitur à Tacito l) ipsi terre solo, quo illi acrius animarentur; indeque
 jugi impatientes pro libertate inprimis redderentur pugnacissimi.
 Cùm igitur ab exteris majores nostros cernamus haud mercenariis
 decoratos præconiis, & quivis esse debeat *λόγιος καὶ φιλόπατρις*,
 quod olim de M. Tullio prædicavit Augustus; nemo me reprehensio-
 ne dignum existimabit, si in veterum Germanorum rebus, loco ex-
 ercitiî Academici pericliter ingenii vires. Occurrebat autem in
 lectione Taciti, quem primas tenere audivi inter Politicos, locus
 præcipuè agens de ITALO CHERUSCORUM REGE, qui origi-
 nem suam debet genti Flaviorum: Ejus vitam ad ductum Taciti *An-
 nal. lib. XI. c. 16. 17.* pro virili parte illustrare aggrediar. Qui cona-
 tus si fortè minus legentium exspectationi respondeat, studium ju-
 venilis ætatis ac propositum qualisqualis industriæ displicere non
 poterit. Atque hâc spe fretus, DEUM ter Opt. Max. veneror, ut
 cœpta mea clementissimè secundare velit!

Descriptio ITALI

ex Tacit. Annal. l. XI. c. 16. 17.

Eodem anno Cheruscorum gens regem Româ petivit,
 amissis per interna bella nobilibus; & uno reliquo stirpis
 regiæ, qui apud urbem habebatur, nomine ITALUS. Pa-
 ternum

g) J. Cæs. lib. IV. Bell. Gall. h) Sallust. Bell. Jug. sub fin. i) lib. I.
 Annal. & de Mor. Germ. cap. XXXVII. k) IV, 12, 30. l) Germ.
 XXIX, 4.

ternum huic genus è Flavio fratre Arminii; mater ex Catumero principe Cattorum erat: ipse formâ decorus, & armis eqvisqve in patrium nostrumqve morem exercitus. Igitur Cæsar auctum pecuniâ, additis stipatoribus, hortatur gentile decus magno animo capeffere. Illum primum Romæ ortum, nec obsidem, sed civem, ire externum ad imperium. Ac primo lætus Germanis adventus, atqve eò magis, quòd nullis discordiis imbutus pari in omnes studio ageret; celebrari, coli, modo comitatem & temperantiam nulli invisam, sæpius vinolentiam ac libidines grata barbaris usurpans. Jamqve apud proximos, jam longiùs clarescere, cum potentiam ejus suspectantes, qui factionibus floruerant, discedunt ad conterminos populos, ac testificantur, adimi veterem Germaniæ libertatem, & Romanas opes insurgere, adeò neminem iisdem in terris ortum, qui principem locum impleat, nisi exploratoris Flavii progenies supra cunctos attollatur? Frustra Arminium præscribi: cujus si filius hostili in solo adultus, in regnum venisset, posse extimesci, infectum alimonio, servitio, cultu, omnibus externis, at si paterna Italo mens esset, non alium infensus arma contra patriam ac deos penates, quam parentes ejus exercuisse. His atqve talibus magnas copias coëgere. Nec pauciores Italum seqvebantur. Non enim irrupisse ad invitos, sed accitum memorabant. Quando nobilitate cæteros anteiret, virtutem experirentur, indignum se patruo Arminio, avo Catumero præberet, nec patrem illi rubori esse, quòd fidem, adversus Romanos volentibus Germanis sumtam, nunquam omisisset, falso libertatis vocabulum obtendi ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei, nisi per discordias habeant. Adstrepebat huic alacre vulgus; & magno inter

Barbaros prælio victor rex; dehinc secundâ fortunâ ad
superbiam prolapsus, pulsusqve ac rursus Longobardorum
opibus refectus, per læta, per adversa res Cheruscas affli-
ctabat.

CAPUT I. Breviarium.

- | | |
|---|---|
| §. 1. Germanorum divisio
ac Cheruscorum sedes. | natos præficiat. |
| 2. An peregrino gubernacu-
la Reip. committenda? | 5. Non omnes tamen ex-
tranei pertinaciter da-
mnentur. |
| 3. Cur nemo, nisi Germanus,
in Imperatorem eligatur. | 6. An serendo inter cives
jurgia stabiliatur domi-
natio. |
| 4. Princeps provincis in eis | |

§. I.

QVinqve Germanorum genera constituit Plinius, a) eos appel-
lat *Vindilos, Ingvones, Estævones, Hermiones, Peucinos*. Ad Her-
miones ab eo referuntur *Cherusci*, qui in latere *Chaucorum Cattorumq;*
nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt b). Eos quondam
attigisse *Albim*, videre est in *Claudiani Panegyrico* c):

— *Ingentes Albim liquere Cherusci.*

Continentur autem hodiè eo terrarum tractu, si fides habenda est *Clu-
verio* d), *Episcopatus* seu *ducatus Verdenfis, Lunæburgensis* ac *Brun-
svicensis Ducatus*, duo item *Episcopatus*, *Hildeshemiensis* & *Hal-
berstadiensis*, aliæq; regiones, quas penes laudatum modò auctorem
videre licet. Alii *Cheruscas* populum *Herciniæ* faciunt.

§. 2. Quoniam verò *Cherusci* Regem Româ petierunt, ac duo
nati ex ultroneo consensu modi reperiuntur, quibus acquiritur impe-
rium civitatis, puta electionem & successionem, oritur quæstio: *U-
trum peregrini potius, quàm indigenæ ad solium evehendi*. Nos tum lite-
rarum sacrarum auctoritate, tum firmis Politicorum rationibus nixi

præ

a) lib. IV. c. 14. Hist. Nat. b) Tacit. Germ. c. XXXVI. c) de IV. Con-
sul. Honor. d) lib. III. Germ. Antiq. c. 19.

præ peregrino, indigenæ summam imperii committendam putamus. Præceptum, quod supremus nomotheta populo Israëlitico dederat, *Deut. XVII, 15.* legitur, cujus sensus ex interpretatione *Berneggeri e)* hic est: *Eum create regem, quem Jehova DEus vester elegerit, videlicet de vestrà consanguinitate; neq; vobis licebit hominem vobis præficere extraneum & alienigenam.* Prima autem civilis prudentiæ ratio nititur sententiâ, quâ mentem suam πολιτικῶτα *Cicero f)* declarat liberimè: *ad consilium de Republica dandum caput est, nosse Rempublicam.* Ast peregrini sæpius ignari sunt non modò Reipublicæ, verùm ignorant etiam populorum mores atq;ve ingenia, quæ adeò diversa sunt, ut quædam nec totam libertatem, nec totam servitutem pati possint. *g)* Evenire enim plerumq;ve affolet, ut Princeps extraneus, dum civium mores ac instituta satis perspecta non habet, ex illorum legibus ac consuetudine vel aliquid mutet vel imminuat, existimans, eandem Reip. administrationem, quâ usus adhuc est in suos, adhibendam esse. Ex *Hieronymo Conestago 1. de bello Belgico* refert *Forstnerus h)* Batavis nullam aliam magis causam fuisse armorum in Principem suum sumtorum, quàm quòd Rex eâ ratione, quàm in Hispaniâ usurpasset, etiam in Belgio regendo, contra privilegia & immunitates populorum uti voluisset. Ob hanc rationem Senatus etiam Romanus Imperatori Claudio svasisse videtur, ne peregrinis jus adipiscendorum in urbe honorum concederet. *i)* *Aristoteles* inter causas Remp. corruptentes *k)* refert, quòd aliquando ejus administratio peregrinis conferretur. Quod etiam *Lipsius l)* innuit: *Ut, in quam domum, vespillones veniunt, signum est funeris; sic Reip. labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini.* Cives proinde majorem imperii notitiam in domestico præsumentes, placidius obtemperant indigenæ, etiam cum is præest, qui magis timeri potest. *m)* Neminem pati velle alienigenam dominum, quamvis major fortiorq;ve sit, quàm quisquam; à Scythis responsum est Alexandro. *n)* De Græcis cum narrat *Livius, o)* eos prætulisse rigidum Persei indigenæ imperium miti Eumenis alienigenæ imperio, inter alias causas hanc inferit: *Seu famâ & majestate*

e) *Quæst. Miscell. CLIX.* *f)* lib. II. de orat. *g)* Tacit. lib. I. Hist. cap. XVI, 7. *h)* Not. ad Tacit. lib. II. Annal. p. m. 190. *i)* Tacit. Ann. XI, 23. *k)* lib. V. Polit. c. 3. *l)* Not. ad lib. III. Polit. c. 4. *m)* Curt. VI, 3. 10. *n)* Id. VII, 8, 21. *o)* lib. XLII, 5.

jestate Macedonum regum præoccupati, ad spernendam originem novi regni. Parthi petiti Roma acceptumque regem, quamvis gentis Arsacidarum, ut externum aspernabantur. p) Accedit extraneos non semper administrare remp. eadem fide, affectu & sedulitate, quâ hi, quos patria genuit aluitque; Siquidem illi publicæ rei proprium non rarò præferunt commodum, eisque prius atque antiquius est illud *Plauti*: q) *Mihi hinc nec feritur, nec metitur*; quàm quòd debeat ab eis attendi suprema in politicis philosophandi regula, quæ publicæ salutis omnia postponit. Nec planè nihil huc momenti ea confert ratio, quod genti etiam non satis gloriosum videatur, si rectores ab exteris petere necessum habeat.

§. 3. Enarratis atque urgentibus hisce rationibus invitatus Otto III. Imperator sancivit edicto, ne ullus in posterum extraneus nancisceretur fasces Imperii. Quoties etiam hodiernum temporale rei Christianæ Caput eligendum est à gloriosissimo Electorum Senatu, diadema S. R. Imperii imponitur proximè nato ex progenie Germanorum; non quòd ita cautum sit sanctione pragmaticâ Imperatoris Caroli IV. quam vulgo Auream Bullam vocare consueverunt; sed vel ob alias justas causas, vel etiam ob inveteratam ac saluberrimam Imperii consuetudinem, quam adduxit quoque Elector Moguntinus, persuasurus Collegis suis, rerum summam deferendam esse Carolo, gente Austriacâ orto, neglecto Franciscò I. Galliarum rege: cuius etiam sententia referente *Sleidano*, r) ad postremum vicit.

§. 4. Ob easdem fermè causas à multis negatur, Principem ad Reip. honores evehere debere peregrinos, præsertim si in patriâ liceat virtute pares invenire. Atque hinc Ferdinandus III. Imperator in *Capitulatione* suâ, quam dicunt, s) promisit, se officia civilia & militaria non nisi Germanis demandaturum. Alii malunt muneribus publicis admoveri advenas, quòd studium æmulationis inter cives vitaretur, nec occasio esset conjurandi in perniciem Principis. Enimverò vix pauci tam miti esse ingenio solent, ut æquo patiantur animo, se regi ministerio alienigenarum.

§. 5. Quæ omnia tamen velim intelligas ἐν λόγῳ συγκρίσεως, si scilicet in patriâ æquè idonei haberi possint. Nam si contingat,

p) Tacit. lib. II. Annal. c. I, r. q) Epidic. Act. 2. sc. 2. v. 80. r) lib. I. de Stat. Relig. s) art. 15. ut

ut ex singulari aliquâ ratione adipiscatur reip. munus, qui extra patriam natus quidem est, ei tamen suam fidem suumque ingenium validissimis probavit documentis, expendendum est *Socratis* dictum apud *Marselaert*): *Optimum frumentum non semper esse, quod in charissimo pulcherrimoque agro nascitur; sed quod commodissime nutrit: optimum esse civem, qui vivit optime, & qui se vivendo civem facit. Qui hostem feriet, is mihi Carthaginensis erit; fortissimus Hannibal dicere solitus fuit.*

§. 6. Progredior nunc ad interna bella, quibus amissos fuisse nobiles, Tacitus asserit, ostensurus, quid sentiendum sit de illis, qui reip. conducere putant, si illa bellis involvatur civilibus. Apprimè autem locum heic illud invenit: *Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant.* u) Nam etsi diuturna conservatio regno adversus seipsum dissidenti, divino oraculo denegetur: non desunt tamen malè solertes, quibus decretum est, dominationem stabilire ferendo alendoque inter cives rixas ac jurgia, eò quod ista ratio ad secreta rimanda & ad evitandas Principum conjurationes admodum esset idonea. Nimirum negant illi, Principi quicquam esse utilius adversus cives, quam si ipsi in commune non consulant x). Nec alio etiam sine J. Cæsar permisit religionis libertatem, quam ut dissensionum augescente licentiâ non timeret plebem unanmem. z) Verùm quamvis horum institutum ad tempus aliquam utilitatis speciem præ se ferat; fallit tamen plerumque, ac tandem affert exitium Principi, conjunctum cum reip. detrimento. De Belgis vir nominis sui, *H. Grotius* aa) scribit: *Multi publica mala suis remedium aut obtegumentum querebant, parata dissidiis turba, & ut cuique plurimum spei aut desperationis erat, in partes transgressura. Sternebant Hispanorum audacie gradum Belgarum inter se procerum certamina, & discors studiis nobilitas, dum pars Arausionensem, & quos jam diximus, alii domus diversas sectantur.* Multo igitur saniora videntur iudicia eorum, qui non solum deformem, sed etiam miserrimum reip. statum esse judicant, in quo cives factionibus scinduntur in partes. Quam periculosa enim sint intestina discordia, & quam obnoxios faciant suos extraneorum injuriis, docemur exemplis Græcarum

B

civi-

r) Legat. lib. I. dissert. X. u) Seneca de vit. beat. c. 2. x) Tacit. Agric. XII. 2. z) Ammian. XXII. aa) lib. I. Annal. de reb. Belg. p. m. II.

civitatum. Rex enim Macedoniae Philippus velut è speculâ quâ-
dam libertati omnium insidiatus est, dum contentiones civitatum
aluit; auxilium inferioribus ferendo, victos pariter victoresque
subire regiam servitutem coëgit. *bb)* Usque autem adeò insaniebant
Græci, ut externum regem invitare mallent, quàm lites suas inter se
placidè componere, aut contra communem hostem inito Syncreti-
smo junctim pugnare. Philippus enim discordantibus inter sese Græ-
cis non priùs immiscuit, quàm ultrò arcesseretur. Quare oportunè
id ipsi cecidit, quòd ambitionè suam & dominandi libidinem potue-
rit velare prætextu apud vulgus tam plausibili. Venetis, Gvelfo-
rum ac Gibellinorum dissensiones foventibus, ne controversiis oc-
cupati populi in se motus excitarent, minus denique rem ex senten-
tiâ cessisse, ipse Hetruriæ doctor profitetur *cc)*. De Romano Im-
perio existimat Sallustius *dd)*, illud ne cunctis quidem gentibus con-
globatis moveri aut contundi posse, nisi cives cum civibus manus
conferturi essent. Nunquam civium factiones pepererunt reip.
incrementum, omniqve tempore erunt *pluribus populis magis exitio,*
quàm bella externa, quàm fames morbive, quæq; alia in DEI iras, velut
ultima publicorum malorum vertunt *ee)*. Ideò interest reip. excindi
odii & simultatis inter cives semina, quæ belli tempore exitium cer-
tissimum afferre solent. Si aliquando accidit, ut, ubi ministri dissi-
dent, Princeps sit securior; non inde putemus regno expedire, si per
interna bella collidantur vires. Ad privatum commodum pertinet,
quando *Cato ff)* inter vernas callidè ferebat lites, suspectam habens
nimiam eorum concordiam.

CAPUT II. Breviarium.

<p>§. 1. Exhibentur Itali pa- rentes, & inseruntur quædam de Flaviiis, & causa, ob quam Impera-</p>	<p>tores assumserint anti- quorum nomina. 2. Ad meliorem virtutum presumptionem facit, si onera</p>
---	---

bb) Epitomat. Trog. Pompej. lib. VIII, 1. *cc)* Machiav. in Princip. c. XX.
dd) Orat. I. ad Cæs. de Rep. ordinand. *ee)* Liv. IV, 9. 3. *ff)* Plutarch.

- | | |
|---|---|
| <p>onera Reip. subiturus
honesto ac illustri genere
natus sit.</p> <p>3. Genus & virtus spectan-
da in eligendis aulicis.</p> <p>4. Decora Principis forma
ei conciliat auctoritatem.</p> <p>5. Metoposcopia interdum
fallit.</p> | <p>6. Forma principi apta, in
quibus consistat.</p> <p>7. Non schola, sed vita di-
scendum.</p> <p>8. Militaris scientia Prin-
cipibus valde necessaria
est.</p> <p>9. Addiscitur ea non lectio-
ne, sed usu.</p> |
|---|---|

§. 1.

Illustravimus, quantum licuit per ingenii vires & quam paucissi-
mis potuit fieri, *Cheruscorum* institutum; jam exhibetur nobis *Ita-
li genus*. Agnoscit autem ille patrem *Flavium*, quem *Tacitus* vocat
fratrem *Arminii*, Ducis *Cheruscorum*, cui à citato auctore ho-
nor monumenti habetur. a) Videntur autem *Glandorpio* b) *Flavii*
dicti à flavo colore, quia primus ejus gentis flavo fuit capillitio,
quod apud Italos tamen ob cæli solique naturam rarissimum est.
Gens autem *Flavia* fuit, testante *Svetonio*, c) obscura, ac sine ullis
majorum imaginibus; successu verò temporis tantum splendoris
nacta est, ut hoc nomen sibi vindicarent Imperatores, ex quibus
etiam est *Justinianus* legislator, ac *Gothorum* per *Belisarium* victor
gloriosissimus. Ex conjecturâ autem *Cass. Manzii* d) assumerunt
posteriores Imperatores nomina antiquorum, ut una cum nomine
etiam felicitatem & bonitatem eorum viderentur consecuti. *Flavii*
verò nostri uxor fuit *Chatta*, *Catumeri* (seu, *simavis*, *Acrumeri*:
miserè enim hæc vocabula vitiata sunt,) Principis *Chattorum* filia,
ex quâ suscepit hunc Italum.

§. 2. Cæterum si paulò altiùs reputo apud animum *Taciti* ver-
ba, apparet *Cheruscos* in electione *Itali* respexisse ad regiam ejus stir-
pem. Multum verò utique interest ad meliorem virtutum præsum-
tionem, si ille, qui imperio præesse debet, illustri genere prognatus

B 2

est,

a) Ann. l. II. c. 88. b) Onomast. p. 339. e) in vit. Fl. Vespas. d) Com-
mentariol. ad inst. p. 1.

est, lumenque ex majorum gloria percipit. e) Ex parentum namque splendore atque virtutibus aestimatur prolis successus: quia bona certa sunt, quæ fidem ab exordio trahunt, dum origo nescit deficere, quæ consuevit radicitus pullulare. Sapor, qui concessus est origini, nisi ex accedente vitio fuerit corruptus, nescit rivulis abnegari. f) Si itaque generosa semina surgunt in suos ortus, habentque hoc optimum in se præclari animi, quod concitentur ad honesta, g) nec imbellem columbam ferox progenerat aquila; h) inficias ibit nemo, animorum quoque propensiones in posteros nonnunquam transfundi. Hoc etiam nomine *Aristoteles* i) censet, eos esse meliores, qui sunt ex melioribus. Unde & stirpem Hectoris horrere se Ulysses dicit. De Ascanio Andromache apud Virgilium k) quærit:

Ecquid in antiquam virtutem, animosque viriles

Ei pater Aeneas, & avunculus excitat Hector?

Brevi faciam, dicebat Scipio junior ad milites, ut quemadmodum nunc noscitis in me patris patruisque similitudinem oris cultusque, & lineamenta corporis; ita ingenii, fidei virtutisque exemplum ac effigiem vobis reddam, ut revixisse aut renatum sibi quisque Scipionem imperatorem dicat. Populus quoque Rom. videtur persuasum habuisse, naturæ bonitatem defluere in liberos sanguine paterno; solennis enim formula solebat ab eis statuis addi: *Virtutem posterius imitantur.* m)

§. 3. Quia autem Princeps suam scientiam non potest cuncta complecti n), sed magna ejus negotia magnis adiutoribus egent: o) ille etiam eos in suorum amicorum numerum adsciscat, quorum genus eminent. Ad ornamentum quippe palatii credimus pertinere, aptas dignitatibus personas eligere, quia de claritate servientium crescit fama dominorum. p) Sicut etiam neminem excelsam virtute virum delectant humilia; ita viles illi, qui viles tantum sibi admovent: & nullum ferme certius indicium magni Principis, quam si adjungat sibi & statatur viris conspicuis & decoris. Nam omnes statim judicabunt, eum talem esse quales ii, qui apud illum. q) Vilescit pariter negotium, quod viro imi subsellii committitur: qui, si abjectè & pro genere se gesserit, & mu-

e) Sallust. Bell. Jug. f) Cassiod. lib. II. var. Epist. 15. g) Senec. Ep. 39.
h) Hor. Od. IV. lib. IV. i) lib. III. Polit. c. XIII. k) lib. III. Æn.
l) Liv. lib. XXVI. cap. XLI. m) Boxhorn. Instit. Polit. lib. I. c. IX.
n) Tacit. Annal. III, 69. 2. o) Vellej. lib. II. c. 127. p) Cassiod. Var.
Epist. lib. IV. ep. 3. q) Priol. de reb. Gall. lib. XII. c. 1.

& munus suum, & majestatem commaculat Principis; si generosè ac splendidè, conditionis suæ immemor, ludibrio se exponit. *r)* Pulcherrimas insuper causas, ob quas lateri Principis obscuri homines non adjungendi sunt, Agrippa exponit in svaforia ad Augustum, quæ apud *Dionem Cassium s)* legitur, ad quem cupidum talium lectorem remitto. De Tiberio, in pleraquæ gubernatione prudente, refert *Tacitus t)*, eum mandasse honores, nobilitatem majorum, claritudinem militiæ, illustres domi artes spectando; ut satis constaret, non alias potiores fuisse. Contingere tamen etiam potest, ut ad exemplum M. Lepidi *t)* & Sempronii Gracchi *u)* parentum virtutibus valedicant liberi: proinde tutius & consultius judicatur, si princeps non acquiescit in contemplatione generis tantum, sed simul quoquæ considerat eorum virtutem, quorum usum præcipuè in publicâ aliquâ functione adhibiturus est. Solam quidem virtutem in provinciæ alicujus Rectore vult observari *Plutarchus*. Sed loquitur ille, ut monet *Lipsius a)* de virtute eximiâ. Ubi autem paritas seu concursus virtutum, nobiles antehabendi: forte etiam, si paulû infra. Toties propterea fatendum est cum *Vellejo ß)*, optimum quemq; esse nobilissimum, quoties excellens atq; insignis aliqua virtus cernitur inesse animo tenuis alicujus hominis. Nec malè heic applicaverim illud *Livii γ)*: Dum nullum fastidiretur genus, in quo eniteret virtus, crevit imperium Romanum. Apud præscorum Romanorum gentes fuerunt, auctore *Tacito δ)* virtutum præmia magistratus; licitumquæ cunctis civibus eos petere, si bonis artibus fisci fuerunt.

§. 4. Adhæc commendatur decora Itali nostri forma, quæ haud leve momentum in se continet ad conciliandam Principi in animis hominum auctoritatem. Ut enim ipsa ætas Galbæ & irrisui & fastidio erat asvetis juventæ Neronis, & imperatores formâ ac decore corporis (ut est mos vulgi) comparantibus *ε)*: sic contra ea Titi Vespasiani augebat famam decor oris cum quadam majestate. *ζ)* *Homerus* de Agamemnone:

B 3

καλόν

- r)* Marselaer, dissert. XI. *s)* lib. LII. *t)* Ann. IV, 6. 3. *u)* ap. Tacit. Annal. lib. III. c. 32. *x)* ap. eund. lib. I. Ann. c. 53. *z)* in Sull. c. 76. *a)* Not. ad lib. IV. c. 10. 6. *ß)* lib. II. c. 128. *γ)* lib. IV, 3. *δ)* lib. II. Ann. c. 22. *ε)* Tacit. lib. I. Hist. c. VII. *ζ)* Id. lib. II. Hist. c. I.

καλὸν δ' ἔγω εἶδον ἔπω ἴδον ὀφθαλμοῖσιν,
 εἰδ' ἔγω γεγερόν βασιλῆϊ γὰρ αὐδρὶ ἔοικεν.

h. e. pulchrum adeo ego haut unquam alium vidi oculis, nec adeo venerabilem: Regi enim similis est. Hinc Menedemus à Cratete dictus Ἀγαμεμόνεϊ apud Hesychium illustr. à procerâ scilicet & insigni formâ, inquit ibi Meursius in Notis, ubi & hos Homeri versus allegat. A Plutarcho versus ille notissimus ex Euripide opinor, laudatur; Πρῶτον μὲν εἶδ' ἄξιον τερατῆϊδ'. In sacris literis Saulus Rex ob decoram faciem, corpus procerum atq̄ve alia, quæ oculos omnium animosq̄ve trahunt, à divino vate in mediâ concione commendatur η). Ut adeo non barbarorum duntaxat, sed hominum etiam politiorum sit, majestatem corporis venerari, magnorumq̄ve operum illos capaces putare, quos eximiâ specie natura donavit. θ) Natura ipsa, ait Seneca ι), pulcherrimis principatum deberi docuit; cùm apibus regem præficeret formâ insignem, dissimilem cæteris, tum magnitudine, tum nitore. Studia etiam militum, uti est apud sæpius laudatum Tacitum κ), in Cæcinnam inclinabant plus, quàm in Fabium Valentem super benignitatem animi, quâ promptior habebatur, etiam vigore ætatis, proceritate corporis & quodam inani favore. Quoniam summus quoq̄ve architectus, secundum Marselaer λ), excellentibus animis hospitalia quodammodo præclariora solet constituere. hinc populi aliqui (ad Æthiopas provocat μ) Aristoteles) tantum corporis flori concesserunt, ut reliquis animi dotibus postpositis, regem velut Numinis digito & naturæ dote designatum delegerint, cui specie eminenti præ nasci contigisset: Alexander apud Curtium de Abdolonymo regiâ quidem stirpe viro, licet inope ait: corporis quidem habitus fame generis non repugnat. Xenoph. in conviv. ἡγήσατο δὲ φύσει βασιλικόν τι καὶ εἶναι. Polybius l. IV. de Philippo Macedone: Χάρις ἐπὶ τὴν αὐτῶν διαφέρουσα πρὸς δὲ τοῖς ἐπίθαισι βασιλικὴ καὶ δύναμις. insignis Regi forma est, dissimilisq̄, cæteris, tum magnitudine tum nitore.

§. 5. Habet quidem vultus mysticos characteres animum ipsum exprimentes, quos qui callet ingenium ex fronte legerit. Non ubiq̄ve tamen procedit eorum conjectura, qui dicunt: Sicuti in pulcrâ ac splendide ædificatâ domo insignis persona habitare creditur; ita

*) Iliad. γ. η) 1. Sam. X. 24. θ) Curt. VI, 5. 29. ι) de Clem. I, 19.
 κ) lib. II. Hist. c. 30. λ) lib. I. dist. XII. μ) lib. IV. Pol. c. 4.

ita eleganti in corpore elegantes virtutes egregioque hospitio heroës. Neque enim deformitas corporis semper certat cum turpitudine, quod licet de Vatinio affirmet *Paterculus* v), adeò, ut animum ejus dignissimo domicilio inclusum fuisse autumet; contrarium tamen probant exempla Socratis atque Æsopi fabularum conditoris, quorum hic, quamvis fuerit specie haud formosâ, tantam tamen animi bonitatem atque scientiam sibi comparavit ex commercio sapientum virorum, ut regium in se favorem derivaret. Vixit autem ille eo tempore, quo floruerunt in Græcia VII. sapientes, ob quos *Lactantius* ζ) perstringit Græcos, quòd illi non plures, quam septem sapientes habuerint.

§. 6. Forma autem ad producendam Principi auctoritatem apta non est aliqua venustas muliebris, quæ modici temporis quædam quasi tyrannis est; sed consistit ea in decorâ magnitudine, in membrorum proportione, in lineamentis aptis, in colore, in succo. o)

§. 7. Neque à personâ nostri Itali abest, *eum se armis ac equis exercitasse*. Si enim ab adolescentibus, uti *Plutarchus* de Laconicis π) refert, ea potissimum debent addisci, quæ aliquando viris factis futura sunt utilia atque honorifica: quanto magis hæc sententia probare se poterit illis, qui nascuntur, ut bona malaque eorum ad remp. pertineant, ρ) atque educantur in spem regni. Hi enim, quia præcipuè tenentur scire, quæ civitati suisque muniis profunt, vel, ut *Aristoteles* σ) habet, quæ eos possunt commendare atque juvare: idcirco eorum corpora ac ingeniorum vires enervanda non sunt per intempestiva studia. Jam verò Principum munus in eo maximè versatur, ut salubriter moderentur & pacis & belli tempora: instructos itaque eos oportet esse tum artibus togæ tum sagi. *Parvi enim sunt foris arma, nisi consilium sit domi*: τ) quare principem utriusque peritum esse decet.

§. 8. Atque ideò inprimis *σύνεσις στρατηγικὴ καὶ ἡ κατὰ πόλεμον ἐμπειρία* imperatoria virtus appellatur *Tacito*, υ), hoc est, si præscripta verba rectè capio, tam propria videtur sagata virtus Principi, ut nemo magis illo callere debeat hanc artem. In hæc enim vis retinen-

v) lib. II. c. 69. ζ) lib. IV. divin. Instit. c. 1. o) vid. Marselaer. lib. I. diff. XII. π) Instit. Lacon. c. 1. ρ) Tacit. Ann. IV, 8.8. σ) lib. V. Pol. c. XI. τ) Cic. lib. I. off. υ) Agric. XXXIX, 3.

tinendi imperii quàm maximè sita est. Licèt aliquis Principem vel Politicæ, vel juris prudentiæ gloria antecellat; faciliùs tamen hoc & cætera omnia possunt utcunqve dissimulari, imò si in reliquis princeps vincitur, ejus fama aliquam tantum facit jacturam, majestas verò ac imperium damno propterea afficitur nullo. Tantum virtutis bellicæ tribuit *Tullius* ϕ), ut eam omnibus præstare dicat, siquidem in ejus tutela ac præsidio lateant omnes urbanæ res, omnia nostra præclara studia.

§. 9. Quia verò ars militaris ejus est naturæ, ut tota exercitatione constet, nec tam per auscultationem ac lectionem queat perdisci, quàm in castris laborum usu χ): non parum accrescit Reip. utilitatis ac æstimationis gloriosæ Principibus, si illi ætate juvenili ad tempus suam operam legitimo addicunt bello, ibiqve parendo discunt duces agere, & sine luxu urbano vivere vitam cum laude. Eis autem, qui domi sub umbra & extra capitis periculum se exercent militaribus meditamentis, inculcat apud *Gvicciardinum* ψ) Triultius: militum armis & ducum consilio bella geri, in acie pugnando, non figuris, quæ ab hominibus rei bellicæ imperitis in charta notantur, seu virgâ in pulvere describuntur.

CAPUT III.

Breviarium.

- | | |
|--|--|
| §. 1. Armati custodes aluntur & ornamenti & securitatis præstandæ causa. | turna semper non est. |
| 2. Cur Corsis interdicta fuerit custodia R. Pontificis. | 4. Princeps sit pari in omnes studio. |
| 3. Latitia civium de adventu novi Principis diu- | 5. Comitati & temperantiæ studeat. |
| | 6. Diversorum judicium de Itali instituto. |
| | 7. Amor populi tuetur Principis vitam. |

§. I. Li-

ϕ) Or. pro L. Mur. χ) Sallust. Catil. c. VII. ψ) lib. IX. p. m. 895.

Licet à Cæsare pecunia auctus fuisse noster *Italus* dicatur, dedecori
tamen ipsi hoc non fuit, nihilque inde sibi addidit invidiæ, quod
alioquin accidit illis, qui pecuniam conquirunt acerbè. a) Nec te-
merè *Italus* etiam munitus fuit stipatoribus, quos Principes *partim*
ornamenti causâ habent b); partim, ut tutius ipsis sit præsidium domi
forisque. Meritò itaque scripsit *Aristoteles* c): rationi esse consenta-
neum, Principem satellites alere custodesque armatos, tam ad subdi-
tos in officio continendos, quam etiam, ut contra vim apertam oc-
cultasque hominum pravorum & subditorum seditiosorum insidias
se defendat. Eoque nomine Tiberium comitabatur miles in forum,
miles in curiam. d) & percussores J. Cæsaris pulcerrimam nacti sunt
occasionem ejus interficiendi, remotis ab eo stipatoribus e)

§. 2. Esset hîc mihi magna memorandi copia, cur plerique Prin-
cipes externis corporis custodibus hodie utantur, multique alienige-
nis indigenas misceant temperamento haud absurdo: sed arctatum
tempus, quod huic operæ seposui, jubet me esse brevior. Contine-
re tamen me non possum, quin causam protinus adjiciam, ob quam
Coris interdicta fuerit custodia sedis, (ut Romanenses loquuntur,) A-
postolicæ, quam his verbis exponit *Priolus* f). *Cirneus miles, custodiae*
Pontificis appositus, obtentu vilis jurgii cum Cregvii, Legati Galli, asseclis,
explosione sclopetorum fenestras ejus insensare, rhedam uxoris, domum re-
deuntis adoriri, & omni protervia genere grassari, proculcatâ Legationis
sanctitate. Cregvius inultus Româ discessit. Corsenses triumphare. Gal-
lie Rex Avenione urbe Pontificiâ, sui juris factâ, extrema minatus, exer-
citum in Italiam parat. Post varias tractationes Pisis conventum: ut
placando Regi Cirnei eterno ab urbe Roma exilio mulctarentur; pyramis
exstrueretur, geste rei æternum monumentum. Sed, quod caput est, Legatus
à latere ad Regem mitteretur, qui verbis obsequiosis facti atrocitatem di-
lueret. Quod peractum decorè à Nepote Pontificis, Chigio Cardinale.

§. 3. Sed ad *Italum* nostrum redeo, nec miror, ejus adventum
ingenti germanos letitiâ affecisse. Est enim vulgi mos, lætari ad nova
imperia: fortassis, quia homines de novo Principe sibi privilegia,

immu-
a) Tac. Hist. III, 76. 14. b) Senec. I. de Clem. c. XIII. c) lib. III. Po-
lit. & VII. d) Tac. I. Ann. c. VII, 5. e) Svet. Cæs. c. LXXXVI.
f) de reb. Gall. lib. XII, 5.

immunitates, largitiones ac optima quæque pollicentur. Verum ubi spem, quam ceperunt de eo, falsam esse cernunt, eorum lætitiæ facile rursus evanescit. Sic cum Alcibiades rem minus ex sententiâ gessisset, incidit in invidiam Atheniensium, quibus antea ejus videndi magna fuerat expectatio g). J. Cæsar coactus fuit turbare omnia, ac permiscere, quod neque opera consummare, quæ instituerat, nec populi expectationem, quam de adventu suo fecerat, privatis opibus explere posset. h) De Mediolanensibus perhibet è Gvicciardino Forstnerius i), eos à Ludovico XII. Galliarum R. defecisse, quia se vidissent deceptos spe liberalitatis, quam sibi in Rege enormem imaginati fuerant.

§. 4. Porro, exemplo Itali, quisque Principum caveat, ne imbutus sit discordiis. Si enim Princeps studio partiû ita addictus est, ut omnis ejus gratia certis tantum conferatur hominibus, facile accidit ut in partes discedat aula, ut qui communem se præbere debebat omnibus, unius factionis caput se ducemque præbeat. Sicuti igitur Sol & dies non parte aliquâ, sed statim totus; nec uni aut alteri, sed omnibus in commune oritur: k) sic Princeps debet omnes continere eadem æquitate, nec incommoda & commoda civium divellere.

§. 5. Lucem jam scenerari jubeor comitati ac temperantiæ, quæ pollebat Italus. Inter alia verò, quæ Principi charitatem ac venerationem civium conciliant, est ejus quoque comitas, quæ in illo gravitas morum ita debet temperari, ut exsuatur tristitia & arrogantia. l) Taxanturque illi non sine causa à Plutarcho m), qui gravitate vocis, torvitate aspectus, & insociabili quadam vitâ dignitatem & majestatem imperantium exprimere se censent. Comitatis istius & humanitatis elegantissima specimina in Alexandro M. proposuit Curtius n). Nimia tamen ista facilitas, quæ Principis auctoritas diminuitur, vel ægrè saltem custoditur illud opinionis de Principe augustum, nequaquam in imperantibus requiritur. Rationem verò, quæ Principi suadet temperantiæ, egregiè docet Septalius o). Si enim Principes, inquit, sobrii sunt ac vigilantes, haud præbent occasionem insidiis ac contumtui;

g) Nep. in Alcib. h) Svet. Jul. c. XXX. i) Not. ad Tacit. p. m. 198.

k) Plin. Panegy. c. XXXV. l) Tac. Agric. IX, 4. m) Comment. ad Princ. indoc. c. II. n) III, 12. V, 2. & alibi. o) de Rat. Stat. lib. II. cap. IIX.

temptui; sicut accidit Alexandro Pheræo, Sardanapalo & Astyagi: idem dici potest de Domitiano, Nerone, & Heliogabalo. Hinc Hiero tyrannus apud Xenophontem dicere solebat: ebrietatem & somnum se non minus, quàm insidias fugere. Beata quoque vocatur ista terra ab Ecclesiaste p), cuius Princeps vescitur tempore suo, non ad voluptatem, sed ad reparandas vires.

§. 5. Tantum tamen abest, ut Italus, vinolentiam ac libidines, grata barbaris, usurpans eis placeat, qui amant sobrios castæque mentis cultores; ut in eorum potius incurrat reprehensionem. Nam licet diem noctemque continuare potando, nulli olim apud Germanos probrum q); tamen barbarum hunc morem aliis gentibus probrosum fuisse sapientum dicta affatim probant. Adeoque vinolentia ac libido Itali reprehendenda est omnino, quoniam hanc circa venerem fuisse neget Cluverius r). Contra illis videbitur factus ad mores regios, qui tantam in Principe dissimilitudinem, tamque diversam requirunt naturam, ut omnibus negotiis seriis juxta ac ludicris animum queat applicare. Versipelli hujusmodi animo fuisse fertur Persarum rex, Sapor, qui cum sibi conduceret, humilis aut elatus fuit s): & Licinius Mucianus appellatur mixtus luxuria, industriâ, comitate, arrogantia, malis bonisque artibus. t)

§. 6. Si ad Italum nostrum respiciamus, haud dubie ipsi animus fuit, se ita ad ingenia civium accommodare: quæ intentio vituperio non esset obnoxia, si iuxta eam media comitentur. Multum namque Principi præstat morum varia moderatio ad comparandum populi amorem, quem liceat vocare cum Seneca, u) inexpugnabile munimentum: hoc si quis non undique septus est, frustra se terrore succinxerit. x) Præclare propterea Ennius: Quem metuunt, oderunt, quem quisque metuit, perisse expetit. Et ut paucis me absolvam, nihil quicquam Principi aptius est ad opes tuendas & tenendas, quàm diligere à civibus; nihil ei perniciosius, quàm non amari; odio haberi, nimis exitiale ac nimis capitale arbitramur. Corroborat hanc assertionem Nepos, z) & alii. Non tantum tamen fiducia Princeps collocet in amore ac benevolentia populi, ut omnem seponat metum. Opti-

C 2

p) c. X, 14. q) Tacit. de Germ. mor. c. XXII. r) Germ. Antiq. l. I. c. XIX. s) Amm. Marcell. lib. XXIX. t) Tacit. Hist. lib. I. 10. 1. u) lib. I. de Clem. c. XIX. x) Plin. Panegy. c. XLIX. z) in vit. Timol. & Dion.

ma enim magistra experientia, docuit, tantam in populo deprehensam fuisse mutabilitatem atque inconstantiam, ut sæpius mutabilis plebs urgente rerum discrimine obortisque periculis, suos deseruerit protectores. *)

CAP. IV.

Breviarium.

- | | |
|--|--|
| §. 1. Sæpe libertatis tuenda prætextu quæritur dominatio. | 3. Fidem fallere Principem non decet. |
| 2. Usitatū Principibus subtrahere invisis atque suspectis potentia subsidia. | 4. Principes initio imperii laudabiles, postea mutati fuerunt. |

§. 1.

Qvod ad potentiam nostri Itali suspectantes attinet, qui factionibus floruerant, videntur illi veram atque intimiorem propositi rationem dissimulare, dum obtendunt Germanorum libertatem, regno Arfacis acriorem. †) Fieri enim assolet, ut plerumque seditiosi homines prætexant libertatem aliaque speciosa nomina. Idque ideò, ut acquirant alienum servitium, alienam dominationem, ac postquam regnum, cui inhiabant, everterunt, ipsam aggrediuntur libertatem. De Sandro cotto commemorat *Justinus*, 1) eum fuisse quidem libertatis auctorem, post victoriam verò titulum libertatis commutasse in servitutem, occupatoque regno, populum quem ab externa dominatione vindicaverat, ipsum pressisse servitio. *Arminium* quoque pro libertate bellantem favor habebat, 2) sed ascendentibus Romanis & pulso *Maroboduo* regnum affectans, libertatem populorum adversam habuit. 3) Confirmat hanc nostram sententiam seditione *Corcyræorum* *Thucydides*. 4) Cæterum dulce libertatis nomen Germanos adhuc hodie afficit, ac ideò à multis crebrius allegatur magis quam defenditur.

§. 2. In-

*) *Septal. lib. II. de Rat. Stat. c. XXII.* †) *Tacitus de moribus c. XXXVII. 6.*
1) *XV, 4, 13.* 2) *Tacitus Ann. II, 44. 3.* 3) *Tac. Ann. II. 88. 3.* 4) *III, 13. 14.*

§. 2. Indicat ulterius hoc loco Noster, timuisse Germanos, ne Romanorum opes insurgerent. Qua occasione potest ostendi tam ex veteri quam recentiori historia, Principibus in more positum esse, ut detrahant invisis atque suspectis opes ac potentiae subsidia. Tiberius dimoverat Syriae Creticum Silanum per adfinitatem conexum Germanico. 5) Nero infensus iis, quibus superbia muliebris innitebatur, dimovet Pallantem cura rerum, quibus à Claudio impositus, velut arbitrum Regni agebat, 6) & ab eodem Nerone Britannicum veneficio interfecturo, olim provisum erat, ut proximus quisque Britannico neque fas neque fidem pensi haberet. Quid non adversus incrementa Austriaca dicitur? Bullionius ad Ludovicum XIII. Galliae Regem scripsit: *Causam Regum & Principum agi, cum se gens Austriaca in prima rerum Europaeorum fastigia extollit.* 7) Diligenter apud Baconum, 8) Dux Britanniae inculcat legato Anglico; Regem quia sit prudentiam, provide consulere, & solidè reputare debere, quantum ejus & securitatis & famae, tam apud exteros, quam apud populum suum interesset, non pati, ut Britanni à Gallis absorberentur; utque tot portus commodi, & oppida maritima munita; imperio tam potentis Regis vicini, & inimici tot per secula inveterati, adjicerentur. Itaque de hac re tanquam de sua cogitandum esse. Sanè, durante Triumviratu illo Regum (Henrici VIII. Angli, Francisci I. Galli, & Caroli V. Hispani,) ea viguit inter ipsos diligentia, ut nemo ex tribus vel palmam terrae acquirere potuisset, quin reliqui duo statim rem ad aequilibrium reducerent, neque pacem foenore redimere sustinerent. Idemque praestabat foedus illud, cui *Gvicciardinus* securitatem Italiae attribuit, iustum inter Ferdinandum Regem Neapolitanum, Laurentium de Medices, & Ludovicum Sforzam, Principes, alterum Florentiae, alterum Mediolani. 9) Minimè tamen, inquit *ó πάλιν Grotius* 10) ferendum est, quod quidam tradiderunt, jure gentium arma recte sumi ad imminuendam potentiam crescentem, quae nimium aucta nocere posset. Fateor in consultationem de bello & hoc venire, non sub ratione justae, sed sub ratione utilis: ut si ex alia causa justum sit bellum, ex hac causa

C 3

pru-

5) Tacitus Ann. II, 43, 3. 6) Tacitus Ann. XIII, 14, 1. & c. 16. (7) Gramond. Hist. Gal. IV. p. m. 246. 8) Hist. Henr. VII. p. m. 29.
9) Fr. Baconus Serm. Fidel. XIX. p. m. 189. 10) De J. B. & P. II. l. 17.

prudenter quoque susceptum judicetur: nec aliud dicunt, qui in
hanc rem citantur auctores. Valde igitur Grotio placet illud Ta-
citi 11) de Chaucis: *Populus inter Germanos nobilissimus quiq; magni-
tudinem suam malit justitiâ tueri, sine cupiditate, sine impotentia: quie-
ti, secretiq; nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populan-
tur: idq; præcipuum virtutis ac virium argumentum est, quod, ut supe-
riores agant, non per injurias assequuntur: prompta tamen omnibus arma,
ac, si res poscat, exercitus: plurimum virorum equorumq; & quiescenti-
bus eadem fama.*

§. 3. Qui partes Itali sequuntur, commemorant inter alia, ejus
parentem nunquam omisisse fidem adversus Romanos volentibus
Germanis sumtam. Statim hinc contemnenda venit eorum pestife-
ra sententia, qui dicunt, fidem non intrare regium limen, nihilqve
Principi gloriosum, quod non sit tectum scuto fraudis, nec quicquam
ei etiam injustum, ex quo fructum utilitatemqve possit percipere.
Talis Pseudo-Politicus, judice *Plutarcho*, 12) fuit Spartanorum Dux
Lysander, qui jus in sola ponens utilitate, veritatem nihilo meliorem
esse mendacio aiebat, sed utriusqve dignitatem & pretium usu defini-
niri: & ob violatum quoddam jusjurandum reprehensus, pueros ta-
lis, viros sacramentis decipi debere respondit. Sed longè alia mens
fuit Salomoni, ex cujus præcepto Principem non decet labium men-
tiens. Si itaque Princeps fidem fallit ei loco damni vel ipsa turpitu-
do est, hæc quia in deformitate corporis habet aliquid offensionis,
quanta illa depravatio & fœditas turpificati animi debet videri. 13)
tantam autem famæ ac fidei jacturam facit Princeps, qui semel audet
pejorare, ut ei postea fidem habere detrectet quivis, etsi per DEUM
juraret. Quæ æstimationis damna cum majora sint, quàm quæ pos-
sint æstimari, Princeps potius maximarum rerum detrimentum, quàm
fidem juratam negligat. Quid? quod abrogata fide tollitur omnis hu-
mana societas, vel, ut *Aristoteles* 14) loquitur, infirmatis violatisqve
pactis, tollitur inter homines commerciorum usus. Fides enim non
tantum sanctissimum humani pectoris 15) bonum est, sed 16) justiti-
æ etiam fundamentum; hoc sublato justitiæ loco erunt cædes, bel-
la,

11) de Moribus c. 35. 12) in apophth. Laconic. c. 94. 13) Cic. lib. III.
off. p. m. 359. 14) 1. Rhet. ad Theod. c. 15. 15) Senec. Ep. 88.
16) Cic. 1. Off. p. m. 21.

la, raptus, neque hæc ullo foedere terminanda, cum nihil sit, quod adstringat. Ipsum insuper DEUM infestum esse violatoribus foederum cum perfidis etiam hostibus pactorum, expertus est Hungariæ Rex *Uladislaus* in pugna Varnensi, quæ clades cum fatis decantata sit omnibus, sufficiat eam his versibus tangere.

Romulide Cannas, ego Varnam clade notavi.

Discite mortales non temerare fidem.

Memsi Pontifices jussissent rumpere foedus,

Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum.

Laudem idcirco meretur *Agefilaus*, qui cum Persis semestres pepigerat inducias, inque ea pactione summa fide manebat, *Tissapherne* hostium Duce, nihil aliud quam bellum comparante: Id etsi sentiebat *Laco*, tamen jusjurandum servabat, multumque in eo se consequi dicebat, quod *Tissaphernes* perjurio suo & homines alienaret, & DEUM sibi iratum redderet 17). Eadem fiducia Romanorum dux *Vercula* affirmat, foederum ruptoribus eadem numina, eadem fata (adversa videlicet) expectanda esse, quæ expertus fuisset *Sacrovirus*, quæ *Vindex*. 18) Cur verò foederum violatoribus rarò aut nunquam ceserit res ex voto, docet *Livius* 19) *Dii infesti sunt, inquit foedera violantibus & alibi: 20) perjurio iratus est DEUS, cujus deluditur Numen.* *Quintus Marcius* 21) etiam ad *Persem* Regem, qui maximam spem in fallaciis & astu ponebat, dixit: *Favet pietati fideique DEUS, per quæ populus Romanus ad tantum fastigii pervenit.*

§. 4, Accidit denique nostro *Italo*, quod aliis etiam evenit Principibus, qui se optimè gesserunt initio regni, ad postremum tamen redditi fuerunt deteriores: Solus autem *Vespasianus* omnium ante se Principum in melius mutatus fuit, 22) *Galba* major privato visus est, dum privatus fuit, & omnium consensu capax imperii, nisi imperasset. 23) Notissima insuper exempla sunt *Tiberii*, *Neronis*, *Philippi* Regis *Macedoniæ*, *Alexandri magni* aliorumque. Causam mutati horum ingenii solerter indagant *Politici*. Factum autem hoc est, ut verba *Lipsii* mea faciam, ex ipsius regni natura. Imperium namque est sublime quoddam & excelsum, sibi quæ insidentem altius effert adversus

17) *Nepos* in *Agef.* c. 2. 18) *Tacit. Hist.* IV, 57. 3. 19) *Livius* XXX. c. 42. 20) IX, 11. 21) *Livius* XLIV, 1. 22) *Tacitus Hist.* I, 50, 5. 23) *Tacit. Hist.* I, 49. 6.

AK
Tm
1446

versus rationem ferociens. Imò uti fortuna multis rebus ereptis u-
sum dat bene svadendi; 24) ita secunda fortuna reddit homines ne-
gligentes atqve superbos. Habet enim hoc omnis magna fortuna,
ut ex summa rerum affluentia trahat vitium, & magnitudo sua illi
perniciosa sit. De Alexandro Curtius l. VIII. notat: *Ovi poterat, hanc*
Darii, qui duas filias virgines, quibus forma comparari poterat, hanc
alio animo quam parentis adspexerat; ita postea insigni parta victoria, in
amorem virguncule nomine Roxanes effusus fuit, quippe minus jam cupi-
ditatibus suis imperans, inter obsequia fortune, contra quam non satis cau-
tamortalitas est. Hic & Salomo offendit, qui tam illustria virtutum
documenta juvenis dederat, senex factus ad fœda omnia & prava de-
scivit. ita tantum ingenium marcuit, cum maturuit, ut nescias utrum
magis mirere, senium in infante, an infantiam in senē. Sciunt et-
iam aliqui Principes novum imperium inchoantibus, utilem clemen-
tiam famam; 25) tamdiu itaque animorum interna celant, donec ea
nudet ipsa potestatis amplitudo: neque illi destituuntur pravis ma-
gistris, adulatoribus insita aulæ peste, à quibus peccare discunt.

§. 5. Atque hæc sunt, quæ præeunte Tacito, de ITALO CHER-
RUSCORUM REGE differere institueram. Ostendi pro ingenii mei
imbecillitate prospera ejus atque adversa, quæ vita ejus, qui mores fu-
erint; quomodo partum imperium defertumque sit: quod est præ-
cipuè in cognitione rerum, salubre atque frugiferum. Potuisset qui-
dem ipsa materia svavitas me ad anteriorem digressum & non injucun-
das digressiones pertrahere; verum quia ejusmodi dissertationes
limites suos habent, & brevitatis studio delectamur omnes,
hæc terminus est.

24) Sallust. in Frag. Hist. IV. p. m. 166. 25) Tacit. Hist. IV, 63. 2.

ADDITAMENTA

De Principis ingenio etiam ex electione Ministrorum Judicari potest.

1. Qui injusta Principum imperata exequuntur, non semper violant con-
scientiam.
2. Qui injusta Principum imperata exequuntur, non semper violant con-
scientiam.
3. Matrimonium ad majora nitenti decus & robur est.
4. Justus metus imminentis periculi, etsi violentia aliqua non præcesserit,
est legitima belli causa.
5. Perperam vulgo dicitur: omne bellum offensivum esse injustum.
6. Non privata, sed publica Principum vitia arguunt tyrannidem.

D. S. G.

107

